

eadem res oblata, licet modus sit diversus, ideo dicitur in illis sacrificiis præfiguratum esse hoc sacramentum, quoad rem in illo contentam, quæ est res et sacramentum simul. Propter hanc etiam causam in veteri testamento corpus Christi per panem, et sanguis per vinum significata sunt, ut Hierem. 11 : *Mittamus lignum in panem ejus, id est, crucem in corpus ejus, ut Tertull. exposuit lib. 4 contra Marcionem, c. 40; et Lactantius, lib. 4 Institut., c. 18; Hieronym. et Origenes super Hieremiam. Idem Hieronym., dicta epist. 150, significari dicit verbis illis Jacob, Gen. 28 : Si fuerit Dominus meus mecum, et dederit mihi panem ad edendum et vestimentum ad operiendum, id est, Christum, qui est panis vitæ, Joan. 6, et indumentum fidelium qui in ipso baptizati sunt, ad Gal. 3; sic etiam dicitur Gen. 49 : Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum; ut enim inquit Cyp., ep. 63 : Quando sanguis uvæ dicitur, quid aliud, quam vinum calicis Domini et sanguis ostenditur? Denique significatus est sanguis calicis Christi in sanguine veteris testamenti, quo Moyses post legem latam aspersit populum, dicens : Hic est sanguis testamenti, quem misit ad vos Deus, Exod. 24, et ad Hebr. 9. Unde Christus, ut in se veritatem impleri ostenderet, eisdem verbis dicit, Matthæi 26 : Hic est sanguis meus novi testamenti; et Lucæ 22 : Hic calix novum testamentum est in sanguine meo.*

5. Ultimo est insignis figura agni paschalis, in quo omnia dicta representata sunt. Agnus enim significabat Christum, non solum ut hostiam, sed etiam ut cibum, quia agnus ille non tantum immolari, sed etiam comedi præcipiebatur; sanguis vero ejus effectum redemptionis Christi, per quem a devastante Angelo protecti, et a servitute Ægyptiaca erepti sumus; panis azymus materiam hujus sacramenti; una domus Ecclesiam, quæ hoc sacramento perficitur, et in se et cum Christo magis ac magis unitur, et ideo in illa sola hæc hostia offerenda est, et distribuendus hic cibus, ne sanctum canibus tribuatur, ut eleganter dixit Cyprian., lib. de Unitate Ecclesiæ; August., serm. 150 et 181 de Tempore, c. 12, et lib. 2 contra litteras Petiliani, c. 37; et Gregor., lib. 35 Moral., c. 7, alias 5, qui eandem figuram optime explicat hom. 22 in Evangelia; Tertull., lib. 4 contra Marcionem, c. 40; Leo Papa, serm. 7 de Passione; Hieron., Matth. 26; Hesychius, in 23 caput Levit.; D. Thom., 4. 2, quæst. 102, art. 5, ad 2.

QUÆSTIO LXXIV.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ, QUANTUM AD SPECIEM, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de materia hujus sacramenti. Et primo, de specie materiæ; secundo, de conversione panis et vini in corpus Christi; tertio, de modo existendi corporis Christi in hoc sacramento; quarto, de accidentibus panis et vini, quæ in hoc sacramento remanent.

Circa primum quærentur octo.

1. *Utrum panis et vinum sint materia hujus sacramenti.*
2. *Utrum ad materiam hujus sacramenti requiratur determinata quantitas.*
3. *Utrum materia hujus sacramenti sit panis triticeus.*
4. *Utrum sit panis azymus vel fermentatus.*
5. *Utrum materia hujus sacramenti sit vinum de vite.*
6. *Utrum sit admiscenda aqua.*
7. *Utrum aqua sit de necessitate hujus sacramenti.*
8. *De quantitate aquæ, quæ apponitur.*

Post explicatam quæstionem, an sit hoc sacramentum, incipit inquirere D. Thom. quid sit, et essentiam ejus explanare, agens prius de materia, postea vero de forma hujus sacramenti. Prius vero, quam ad has partes specialiter descendamus, expediens visum est, disputationem præmittere, in qua generaliter inquiremus, in quo hujus sacramenti ratio, et essentia consistat; ita enim facilius erit postea disputatio de singulis partibus sacramenti.

DISPUTATIO XLII.

DE ESSENTIA, ET PARTIBUS HUIUS SACRAMENTI IN COMMUNI.

Supponimus ad hoc sacramentum conficiendum multa concurrere; scilicet, aliquam verborum formam, materiam panis et vini, quæ, dum conficitur sacramentum, partim transit, scilicet, quoad substantiam panis et vini, et ut sic, materia remota dicitur, partim permanet, scilicet, quoad accidentia, et ut sic, materia proxima appellatur. Præterea, corpus et sanguinem Christi, quæ sub specie-

bus consecratis continentur; ac denique post hæc reperitur usus hujus sacramenti; quæ omnia in sequentibus probanda sunt. Hic solum explicandum est, quomodo hæc component hoc sacramentum, seu quid illorum ad essentiam ejus componendam intrinsece pertineat. Nam de omnibus dictis est dubium, præterquam de materia remota; de qua, cum non maneat, non est inter Catholicos controversia. Supponendæ sunt etiam hoc loco differentie hujus sacramenti a reliquis, quas supra disp. 39, sect. 2, late tradidimus.

SECTIO I.

An species consecrata sint sacramentum Eucharistiæ, vel de intrinseca ratione ejus.

1. *Prima opinio.* — Duobus modis videtur esse ab aliquibus negatum, species consecratas intrinsece constituere, et esse de essentia sacramenti Eucharistiæ. Primus fuit Waldensis, tom. 2 de Sacramentis, cap. 21, ubi dicit, in aliis sacramentis solum visibile signum, invisibilem gratiam significans, esse ipsum sacramentum; hic vero sacramentum esse invisibilem gratiam, per visibile signum proxime significatam, id est, Christum Dominum, quem verba significant, et sub speciebus constituunt, species autem et continent, et significant. Unde concludit, species nec ad essentialem constitutionem hujus sacramenti pertinere, nec esse sacramentum, nisi per quandam analogiam, quia sunt signum sacramenti, sicut color dicitur sanus, quia est signum sanitatis. Fundatur hic auctor solum in quibusdam Sanctorum testimoniis, qui hoc sacramentum corpus et sanguinem Christi appellant, quos partim citavimus quæst. præced., art. 4, partim allegabimus infra, sect. 3, ubi verum illorum sensum expendimus. Et confirmari potest hæc opinio, quia species sicut non significant, ita nec efficiunt gratiam sanctificantem, sed solum significant Christum, quem continent. Christus vero ipse est, qui gratiam confert, juxta illud Joan. 6 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Cum enim humanitas sit instrumentum conjunctum, et præsens, ac proxime adsit, non indiget alio instrumento; species ergo nihil efficiunt; ergo non sunt sacramentum, nec pars sacramenti.

2. *Secunda opinio.* — Secundus modus, seu secunda opinio est, species non esse partem sacramenti hujus, quia solum forma verborum est totum sacramentum. Hæc sententia

tribui solet Cajet. qui supra, quæst. 63, art. 6, ita loquitur. Circa Eucharistiæ sacramentum duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum, quod nihil aliud est, quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiæ. Cum ergo consecratio verbis fiat, significat, sola verba esse Eucharistiæ sacramentum. Quæ sententia tribuitur etiam Marsil. in 4, quæst. 1, art. 1, et quæst. 6, art. 2; et videtur illi favere D. Thom. in 4, d. 8, q. 1, art. 1, quæstiunc. 1, cum dicit, in sacramento Eucharistiæ sanctificationem materiæ esse ipsum sacramentum. Et suaderi potest hæc opinio, quia in hoc sacramento sola verba sunt sensibile signum, efficax summæ gratiæ, id est, Christi, quem significant, et quodammodo efficiunt; species autem, ut dictum est, nihil efficiunt. Et confirmatur, quia negari non potest, quin verba habeant significationem sacramentalem; ergo vel sunt sacramentum, vel pars sacramenti; non sunt autem pars, quia non habent partem, cum qua unum totum constituent, quia successivum cum permanente non potest conjungi ad unum totum constituendum; ergo sunt integrum sacramentum; et non aliud, quam Eucharistia : ergo.

3. *Prima conclusio.* — Dicendum vero primo est, solum Christi Domini corpus ac sanguinem non esse integrum Eucharistiæ sacramentum. Hæc est communis sententia Doctorum, quos statim referam, et colligitur ex Innocent. III, et ex Concil. Trident., et ex aliis multis Patribus et decretis, quæ statim ad probandam tertiam conclusionem afferam. Ratio vero clara est, quia de ratione sacramenti est, ut sit per se signum sensibile; Christus autem, ut in hoc sacramento, non est modo sensibilis; ergo per se sumptus non potest esse totum sacramentum; necesse est enim, ut in intrinseca essentia sacramenti aliquid signum, quod sensibus objici possit, includatur. Unde, si res aliqua per se insensibilis interdum est pars sacramenti, necesse est, ut cum alia per se sensibili conjungatur, et aliquo modo, saltem per accidens, sentiat, ut in contritione et confessione videre licet. Sic igitur, corpus Christi, prout est in hoc sacramento, non potest per se constituere sacramentum, cum seclusis speciebus nullum signum per se sensibile maneat, quod ad constituendum sacramentum sufficiens sit. Unde aperte repugnat, species habere rationem sacramenti per analogiam ad Christi corpus, cum potius ipsum corpus per ipsas

tantum species aliquo modo, scilicet sacramentaliter, sentiatur; species autem per se sensibiles sint. Propter quod sancti Patres docent, ipsas species esse sacramentum tantum; corpus autem Christi esse rem, et sacramentum simul.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: verba consecrationis non sunt Eucharistiæ sacramentum. Communis est conclusio Theologorum, et existimo esse certam, colligique ex communi loquendi modo Sanctorum, et Conciliorum, appellantium species ipsas, sacramentum, ut jamjam videbimus. Præterea dicunt Patres, consecratione perfici sacramentum Eucharistiæ, non autem consecrationem esse ipsum sacramentum. Aug., lib. 20 contra Faustum, cap. 13: *Noster panis et calix, certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur*; et in c. Quia passus, de Consec. d. 2: *Mysterium, dicitur, pacis, et unitatis nostræ in sua mensa consecravit*. Greg. Nyss. in c. Quia corpus, eadem dist.: *Necessarium erat, ut in die cænæ sacramentum nobis corporis et sanguinis sui consecraret*; et similia habet Ambros., lib. de Iis qui initiantur, cap. 9, et lib. 4 de Sacr., cap. 4. Ac denique in c. Ego Berengarius, in suæ hæresis abjuratone jurat ille, se credere, post consecrationem, non solum sacramentum, sed verum corpus et sanguinem Christi Domini nostri in altari manere. Ergo, cum verba transeant, et sacramentum maneat, necesse est sacramentum esse aliquid præter verba. Nec potest accommodari eorum fuga, qui exponunt manere sacramentum, quia manet Christus, qui est res et sacramentum simul, quia ibi expresse dicitur, manere sacramentum, præter corpus et sanguinem Christi, quæ sunt res et sacramentum simul. Denique Concil. Florent. expresse dixit, per hæc verba hoc confici sacramentum; Concil. Trident., sess. 13, c. 4, dicit, post panis et vini consecrationem, Christum Dominum in hoc sacramento contineri; ergo præter rem et sacramentum, scilicet Christum, manet sacramentum continens ipsum. Non enim ipsum seipsum continet; unde id dictum esse ratione specierum, certum est, ut clarius explicatur in c. Firmiter, de Sum. Trinit. et fid. Cath., ubi dicitur, Christum contineri in altari, sub speciebus; si ergo verba conficiunt Eucharistiæ sacramentum, et post verba, præter corpus et sanguinem Christi, manet sacramentum, in quo Christus continetur, non sunt verba ipsum sacramentum. Et confirmatur, quia Eucharistia est

sacramentum permanens, quod a fidelibus sumitur, ut animarum cibus, et adoratur, et circumfertur, et pro infirmis servatur, ut Concil. Trident. tradit sess. 13, per multa capita. Verba autem nec permanent, nec sumuntur a fidelibus, nec adorantur, circumferuntur, aut servantur; ergo illa, per se solâ, non possunt esse Eucharistiæ sacramentum, quia non conveniunt illis proprietates rei permanentis, quæ sacramento Eucharistiæ attribuuntur. Et hæc conclusio evidentius constabit ex sequenti. Nec existimo D. Thom. aut aliquem auctorem gravem sensisse contrarium, quanquam interdum aliqui minus proprie loqui videantur. Quia in re perspicua non existimarunt de vero ipsorum sensu potuisse dubitari. Proprie ergo, et in rigore falsum est asserere, sacramentum Eucharistiæ esse actionem consecrandi; et si alicubi hoc reperitur, interpretandum est, vel de actione, ratione sui termini, vel in sensu causali, scilicet Eucharistiam confici consecratione. Et ita sese exponit aperte D. Thom. illo loco, et infra hac 3 part., quæst. 78, art. 8, et sæpe alias; et idem est sensus Cajetani, qui illo loco non tractabat de essentia hujus sacramenti, sed de actionibus, quæ in illo interveniunt, scilicet consecratione, et sump-tione, ut ostenderet, per neutram illarum characterem imprimi, de quo ibi disputabat. Marsil. etiam eodem modo interpretandus est. Nam, licet in priori loco obscurius loquatur, in posteriori satis aperte veritatem docet.

5. *Species consecratæ pertinent ad essentiam Eucharistiæ.* — Dico tertio, species consecratas esse Eucharistiæ sacramentum, seu ad illius constitutionem intrinsece et essentialiter pertinere. Propono conclusionem hanc sub disjunctione, quia perfecta illius intelligentia pendet ex iis, quæ dicemus duabus sequentibus quæstionibus. Ubi ostendemus, sensum utriusque partis recte intellectum eodem revolvi. Conclusio ergo est communis Theologorum, D. Thom. hic, art. 1, ad 2 et 3, et aliorum in 4, dist. 8, ubi Magist. etiam hoc sacramentum dicit esse, invisibilis gratiæ visibilem formam. Unde concludit, ipsas species esse sacramentum tantum, quod prius docuerat Hugo de S. Victore, lib. 2 de Sacr., p. 8, cap. 7; tenet Altisiod., lib. 4 Summæ, tract. 5, cap. 4; Alens., 4 p., quæst. 34, membr. 3; Cajetan., quæst. 57, art. 4, in fine; Richard., art. 4; Viguerius in Summa, cap. 16, § 3; quam Theologorum doctrinam amplexus est Innocent. III in cap. Cum Mar-

thæ, de Celebratione Missarum, docens, species visibiles esse sacramentum tantum. Et indicatur etiam in cap. Hoc est, de Consecr., dist. 2, quod ex Augustino desumptum est, partim epist. 23 ad Bonifacium, partim aliis locis; et Concil. Trident., sess. 13, cap. 3, eadem utitur doctrina, cum docet, commune esse huic sacramento, cum cæteris, esse invisibilis gratiæ visibilem formam. Et confirmatur, nam ratione specierum, dicitur corpus Christi contineri in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, eadem sess., cap. 4, et in cap. Species, de Consecr., dist. 8, et sæpe alias. Nec enim corpus Christi ratione sui ipsius potest dici contineri in sacramento magis quam in se ipso; sunt ergo ipsæ species sacramentum, vel certe sacramentum ipsum componunt, vel intrinsece constituunt. Et alia similia argumenta confici possunt ex multis aliis locutionibus de hoc sacramento, quæ in Concil. Trident. et in variis decretis de Consecr., d. 2, facile reperientur. Ratio vero clara est, quia species visibiles sunt signum sacrum. Significant enim Christum, quem continent; significant autem illum, ut animarum cibus, atque adeo, ut sanctificantem homines, per modum spiritualis nutrimenti; quæ significatio ad rationem sacramenti posset sufficere; tamen præterea significant gratiam, et charitatem, quia significant unionem in uno corpore Christi mystico, quæ unio charitate perficitur. Ac denique realiter in se continent Christum, quod genus quoddam causalitatis est, et fortasse ad efficientiam pertinet, ut infra dicam. Tandem probabile est, efficere etiam gratiam, ut instrumentum physicum Christi; nihil ergo deest speciebus consecratis, quominus possint Eucharistiæ sacramentum componere, seu constituere.

6. *Fundamenta contraria destruantur.* — Fundamenta contrariarum opinionum edictis fere soluta sunt; Waldensis enim in æquivoco laborasse videtur; nam ex eo, quod corpus et sanguis Christi sunt res præcipuæ, ex quibus maxima dignitas hujus sacramenti consurgit, existimavit, accidentia, comparatione illarum, quasi nihil esse, et ideo analogice esse sacramentum, cum tamen valde diversum sit agere de rei nobilitate, ac agere de ratione sacramenti, quia cum de ratione sacramenti sit esse signum sensibile, fieri potest, ut in re minus nobili prius et exactius inveniatur ratio sacramenti, si illa per se sit sensibilis, quam in re nobiliori, si non sit

per se sensibilis, sed tantum per aliam, ut in præsentia accidit, sicut explicatum est. Patres vero, quos Waldensis allegat, licet dicant, corpus Christi esse sacramentum, non tamen excludunt species. Quomodo autem intelligendi sint, in sect. 3, dicemus. Ratio vero in favorem illius sententiæ facta falsum sumit, ut visum est, et idem dicendum est ad rationem factam pro secunda sententia, de qua plura in sequenti sectione dicemus.

SECTIO II.

An forma verborum consecrationis sit de essentia hujus sacramenti, intrinsece illud constituens.

1. *Quotupliciter accipiatur consecratio.* — Consecratio duobus modis accipi potest. Primo pro forma verborum, qua hoc sacramentum conficitur. Secundo, pro actione illa mirabili, qua panis in corpus Christi convertitur. De hac posteriori non est quæstio, quia constat, illam esse viam ad constituendum hoc sacramentum, non tamen pertinere intrinsece ad ipsam rationem sacramenti, quia non est forma sensibilis, sed potius invisibilis actio ejus, sicut spiritualis actio, qua per formam, v. gr., baptismi, efficitur gratia in anima, non est sacramentum, sed potius res sacramenti, seu via ad illam. Intelligitur ergo quæstio de ipsa forma verborum, de qua non est controversia inter Catholicos, quin aliquo modo sit forma hujus sacramenti, ut Concilium Florent. tradit, et infra, q. 78, latius dicitur. Difficultas vero est, quomodo intelligendum sit, esse formam; scilicet, an tanquam formam informantem et constituentem ipsum sacramentum, an vero solum, ut formam extrinsece illud efficientem.

2. *Verba consecrationis non sunt aliquod integrum sacramentum.* — Supponendum secundo est, illa verba non esse integrum aliquod sacramentum, quia neque est Eucharistia, ut ostendimus, neque aliud aliquod ab illa distinctum, quanquam Gabriel, d. 6, art. 3, dub. 2, contrarium asserere voluerit, licet formidando. Sed est nova et absurda sententia, qua posita plura essent sacramenta, quam septem; quod Gabriel consequenter concedit, quamvis per reductionem dicat ad septem omnia revocari, quod ego supra satis improbavi in disput. 39 et 4 hujus materiæ. Ratio etiam a priori adjungi potest, quia id, quod est integrum sacramentum novæ legis, est proximum signum efficax gratiæ sanctificantis, quam continet et con-

fert, ut patet ex generali doctrina de sacramentis novæ legis. Hæc autem verba non sunt instituta ad conferendam gratiam. Unde non possunt immediate applicari ad sanctificationem hominis, sed solum ad sanctificationem materiæ. Et ideo sola illa, ac per se sumpta, non possunt esse integrum sacramentum novæ legis, sicut sanctificatio christi, aut benedictio olei, non potest habere integram rationem sacramenti. Et ita melius docuerat idem Gabr., lect. 35 in canon., et omnes Doctores, dist. 8. Et ex his intelligitur facile ratio dubitandi in proposita quæstione.

3. *Consecrationem nec esse Eucharistiam, nec ejus partem, qui asserant.* — Prima igitur sententia dicit hanc formam nec esse sacramentum, nec partem sacramenti Eucharistiæ. Potest pro hæc sententia referri Soto in 4, dist. 4, art. 4; sed ille generaliter in omnibus sacramentis negat formas esse partes intrinsecas, sed in hoc deceptus est, ut suo loco ostendimus. Nec in aliis est eadem ratio dubitandi, quæ in isto. Tenet igitur proprie hanc sententiam Scot., dist. 8, quæst. 4, ad 3, quem sequitur Gabriel ibi, quæst. unica, in princ., et lect. 38 in can.; Victoria in Summ., n. 32; Ledesma, quæst. 44, art. 4, dub. 2; Catherinus, opusc. 2, de Verbis quibus Christus consecravit; Claudius, repet. 4, cap. 12; et optime omnium Alanus, lib. 4 de Eucharist., cap. 3, 4 et 5. Hi dicunt non esse de ratione sacramenti, ut essentialiter atque intrinsece constet rebus ut materia, et verbis ut forma, sed solum, ut ex rebus et verbis conficiatur quacumque ratione; quod in hoc sacramento servatur solum quia verba sunt necessaria ad conficiendum hoc sacramentum per modum formæ extrinsece efficientis. Et primo suadet ex Concil. Florent., quod primum in genere loquens non dicit omnia sacramenta constare ex materia et forma, sed omnia tribus perfici, materia, forma et ministro. Ex quo solum habetur, illa tria esse necessaria, non vero essentialia, ut de ministro dicere necesse est. Statim vero loquens in specie de hoc sacramento dicit, materiam esse panem et vinum, formam autem verba; constat autem illam materiam non esse intrinsecam et essentialem sacramento in facto esse; sed solum esse materiam remotam, et quasi terminum a quo, necessarium in fieri. Ergo eodem modo dici poterit forma sacramenti in fieri; non vero constituens illud intrinsece in facto esse. Unde inferius idem Concilium dicit, hanc esse formam, qua hoc conficitur sa-

cramentum; et eodem modo loquuntur Patres supra citati. Est ergo hæc forma efficiens, non informans hoc sacramentum. Unde arguitur secundo ex differentia inter hoc sacramentum, et reliqua, quia in aliis forma non efficit sacramentum, sed effectum sacramenti, et ideo potest per se constituere sacramentum; at vero hic forma efficit sacramentum; ergo non formaliter constituit, quia teste Aristotele, forma informans, et efficiens non coincidunt in eandem numero. Tertio, quia in aliis sacramentis non est aliud esse, quam fieri; et ideo eisdem formis sunt, quibus fiunt; at hoc sacramentum, præter fieri, habet esse permanens; res autem permanens constituitur in suo esse per formam permanentem distinctam ab actione qua fit, quia in tali re aliud est esse, aliud fieri. Unde confirmatur, quia transacta forma, manet in altari integrum sacramentum, et non manet compositum ex rebus et verbis; ergo non est hoc compositum, sacramentum; sed illa tantum res, quæ in altari permanet; et consequenter verba non sunt nisi pars extrinseca sacramenti; antecedens constat ex decretis supra citatis, quæ in hoc favent huic sententiæ, et in eo etiam quod simpliciter vocant species sacramentum tantum, nulla facta mentione formæ. Ultima ratio, et tertia differentia est, quia in aliis sacramentis proxime applicatur forma ad sanctificationem fidelium, quod est intrinsecum sacramento novæ legis. Ut enim supra vidimus, debet esse cæremonia ad usum et sanctificationem fidelium instituta; in hoc autem sacramento forma non est proxime ad sanctificandos fideles, sed ad sanctificandam materiam, quæ in usum fidelium postea futura est; non est ergo pars sacramenti; sicut in confirmatione, vel extrema unctione, sanctificatio seu benedictio materiæ, quamvis simpliciter necessaria sit, non est tamen pars, vel forma sacramenti, quia remote tantum ordinatur ad usum, et sanctificationem fidelium.

4. Quod si quis interroget, cum hæc forma sit signum sacrum, si non est sacramentum, vel pars sacramenti, quid sit, respondet Soto dist. 8, quæst. 4, art. 4, esse sacramentale quoddam. Quod non mihi placet, quia habet effectum maxime supernaturalem, et ex institutione divina est instrumentum efficax, et altioris rationis, quam sint ea quæ sacramentalia vocantur. Scotus dicit, esse viam ad sacramentum; sed hoc magis convenit actioni ipsi, quam formæ verborum.

Melius ergo dicetur forma extrinseca, et efficiens. Vel certe probabiliter dici potest, quod sit actio sacrificandi incruente. Nam, ut infra dicam, dum hoc sacramentum conficitur, sacrificium Deo offertur. Et ex hoc dicendi modo accommodatissime explicatur hæc opinio. Dixi enim supra, agens de sacramentis in genere, hoc differre inter sacramentum et sacrificium, quod licet utrumque sit signum sacrum, tamen sacramentum ordinatur ad usum et sanctificationem fidelium, sacrificium vero ad offerendum Deo aliquid sacrum in singularem cultum ejus. Verba ergo consecrationis proxime ordinata sunt ad conficiendum corpus Christi et sanguinem separatim ex vi verborum; et hoc modo ad immolandum et offerendum Deo incruente ipsum Christum, in singularem cultum ipsius Dei. Et ideo proxime pertinent illa verba ad constituendum sacrificium, et sunt signum sacrum per modum sacrificii, non per modum sacramenti. Quia vero, id quod Deo in sacrificio offertur, postea cedit in usum fidelium, inde fit, ut per hæc verba, et per hanc sacrificionem conficiatur spiritualis cibus, qui sit perfectissimum sacramentum, quo reficiuntur fideles. Ex quo etiam colligitur, posse hæc verba dici formam hujus mysterii, quatenus sacrificium est. Sacrificium enim consistit in fieri et in actione; et ideo forma ejus merito dici potest actio sacrificandi; nam materia, seu quasi materia est res oblata, seu in cultum Dei confecta, seu sacrificata; eadem vero forma, quæ informat sacrificium, efficit sacramentum. Quia, ut dictum est, res sacrificata manet in cibum, usum et sanctificationem fidelium. Et hoc modo explicata hæc sententia non solum probabilis est, sed etiam valde accommodate explicat hoc mysterium, et admirabilem sapientiam, quam in eo constituendo Christus ostendit.

5. *Secunda opinio.* — Secunda nihilominus sententia est, verba esse formam intrinsece constituentem hoc sacramentum. Hanc videtur tenere Marsil., quæst. 6, art. 2, et videtur favere D. Thom., tum in 4, dist. 8, quæst. 4, art. 4, quæstiunc. 4, tum etiam in tota hac materia, quatenus eodem modo loquitur de forma hujus sacramenti, sicut de aliis. Fundamentum autem est illud generale axioma Theologorum: Sacramenta novæ legis constant rebus et verbis; quod intelligendum videtur de constitutione intrinseca, et essentiali, ut fit in omnibus aliis; nam si in aliquo hoc negatur, poterit facile negari in reliquis;

et ita tota hæc doctrina de constitutione sacramentorum reddetur incerta. Sed, ut verum fatear, hoc argumentum non admodum cogit, ut prima ratio præcedentis sententiæ demonstrat; nam ubi est specialis ratio, et quasi singularis natura sacramenti, nihil mirum est si in illo fiat singularis exceptio, et propria constitutio. Alia ratio adjungi potest, quia hæc verba sunt signum sacrum, et efficax summæ gratiæ, quia vim habent conficiendi Christum in hoc sacramento, et significandi illum, ut est cibus animarum sanctificans; ergo hæc verba sunt sacramentum, vel pars sacramenti. Non primum, ut ostensum est; ergo secundum. Sed hæc ratio ex dictis facile solvi potest dicendo, hæc verba significare per modum sacrificii, quæ significatio est veluti extrinseca et efficiens in ordine ad sacramentum. Denique ratio esse potest, quia hæc forma habet circa species illum effectum sacramentalem, quem habere potest forma sacramentalis, quia definit, et determinat materiam ad sacramentalem significationem. Dicit tamen potest determinare effective consecrando materiam. Sed ratio est probabilis, ut statim explicabo.

6. *Non verba, sed quod ex verbis relinquuntur, esse formam hujus sacramenti, quidam volunt.* — Tertia opinio esse potest, quæ est veluti explicatio præcedentis, non verba, sed quod ex verbis relinquuntur, esse formam hujus sacramenti, ad modum quo nonnulli dicunt, ubi, non esse superficiem continentem, sed quod ex circumscriptione ejus resultat in locato. Sed hæc sententia addit aliquid obscurius, et non salvat modum loquendi Conciliorum, et vix potest non incidere in alterutram ex dictis. Interrogo enim, quid sit illud, quod verba relinquunt circa species, et an relinquunt effective vel formaliter; si effective, illud non potest esse, nisi consecratio physica, quæ consistit in separatione specierum a substantia, et conversione substantiæ in corpus Christi. Et hoc modo jam verba non sunt forma informans, sed efficiens, ut prima opinio dicebat. Id autem, quod efficiunt, magis se tenet ex parte materiæ proximæ, quam formæ. At vero formaliter nihil relinquunt verba circa species, nisi fortasse denominationem extrinsecam; neque enim materiam manere determinatam ad talem significationem, potest esse aliud, quam habitudo rationis, et denominatio extrinseca; et hoc ipsum dicebat secunda opinio, et melius loquebatur, quia Concil. Florent. non dicit,

tantum species aliquo modo, scilicet sacramentaliter, sentiatur; species autem per se sensibiles sint. Propter quod sancti Patres docent, ipsas species esse sacramentum tantum; corpus autem Christi esse rem, et sacramentum simul.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: verba consecrationis non sunt Eucharistiæ sacramentum. Communis est conclusio Theologorum, et existimo esse certam, colligique ex communi loquendi modo Sanctorum, et Conciliorum, appellantium species ipsas, sacramentum, ut jamjam videbimus. Præterea dicunt Patres, consecratione perfici sacramentum Eucharistiæ, non autem consecrationem esse ipsum sacramentum. Aug., lib. 20 contra Faustum, cap. 13: *Noster panis et calix, certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur*; et in c. Quia passus, de Consec. d. 2: *Mysterium, dicitur, pacis, et unitatis nostræ in sua mensa consecravit*. Greg. Nyss. in c. Quia corpus, eadem dist.: *Necessarium erat, ut in die cænæ sacramentum nobis corporis et sanguinis sui consecraret*; et similia habet Ambros., lib. de Iis qui initiantur, cap. 9, et lib. 4 de Sacr., cap. 4. Ac denique in c. Ego Berengarius, in suæ hæresis abjuratone jurat ille, se credere, post consecrationem, non solum sacramentum, sed verum corpus et sanguinem Christi Domini nostri in altari manere. Ergo, cum verba transeant, et sacramentum maneat, necesse est sacramentum esse aliquid præter verba. Nec potest accommodari eorum fuga, qui exponunt manere sacramentum, quia manet Christus, qui est res et sacramentum simul, quia ibi expresse dicitur, manere sacramentum, præter corpus et sanguinem Christi, quæ sunt res et sacramentum simul. Denique Concil. Florent. expresse dixit, per hæc verba hoc confici sacramentum; Concil. Trident., sess. 13, c. 4, dicit, post panis et vini consecrationem, Christum Dominum in hoc sacramento contineri; ergo præter rem et sacramentum, scilicet Christum, manet sacramentum continens ipsum. Non enim ipsum seipsum continet; unde id dictum esse ratione specierum, certum est, ut clarius explicatur in c. Firmiter, de Sum. Trinit. et fid. Cath., ubi dicitur, Christum contineri in altari, sub speciebus; si ergo verba conficiunt Eucharistiæ sacramentum, et post verba, præter corpus et sanguinem Christi, manet sacramentum, in quo Christus continetur, non sunt verba ipsum sacramentum. Et confirmatur, quia Eucharistia est

sacramentum permanens, quod a fidelibus sumitur, ut animarum cibus, et adoratur, et circumfertur, et pro infirmis servatur, ut Concil. Trident. tradit sess. 13, per multa capita. Verba autem nec permanent, nec sumuntur a fidelibus, nec adorantur, circumferuntur, aut servantur; ergo illa, per se solâ, non possunt esse Eucharistiæ sacramentum, quia non conveniunt illis proprietates rei permanentis, quæ sacramento Eucharistiæ attribuuntur. Et hæc conclusio evidentius constabit ex sequenti. Nec existimo D. Thom. aut aliquem auctorem gravem sensisse contrarium, quanquam interdum aliqui minus proprie loqui videantur. Quia in re perspicua non existimarunt de vero ipsorum sensu potuisse dubitari. Proprie ergo, et in rigore falsum est asserere, sacramentum Eucharistiæ esse actionem consecrandi; et si alicubi hoc reperitur, interpretandum est, vel de actione, ratione sui termini, vel in sensu causali, scilicet Eucharistiam confici consecratione. Et ita sese exponit aperte D. Thom. illo loco, et infra hac 3 part., quæst. 78, art. 8, et sæpe alias; et idem est sensus Cajetani, qui illo loco non tractabat de essentia hujus sacramenti, sed de actionibus, quæ in illo interveniunt, scilicet consecratione, et sump-tione, ut ostenderet, per neutram illarum characterem imprimi, de quo ibi disputabat. Marsil. etiam eodem modo interpretandus est. Nam, licet in priori loco obscurius loquatur, in posteriori satis aperte veritatem docet.

5. *Species consecratæ pertinent ad essentiam Eucharistiæ.* — Dico tertio, species consecratas esse Eucharistiæ sacramentum, seu ad illius constitutionem intrinsece et essentialiter pertinere. Propono conclusionem hanc sub disjunctione, quia perfecta illius intelligentia pendet ex iis, quæ dicemus duabus sequentibus quæstionibus. Ubi ostendemus, sensum utriusque partis recte intellectum eodem revolvi. Conclusio ergo est communis Theologorum, D. Thom. hic, art. 1, ad 2 et 3, et aliorum in 4, dist. 8, ubi Magist. etiam hoc sacramentum dicit esse, invisibilis gratiæ visibilem formam. Unde concludit, ipsas species esse sacramentum tantum, quod prius docuerat Hugo de S. Victore, lib. 2 de Sacr., p. 8, cap. 7; tenet Altisiod., lib. 4 Summæ, tract. 5, cap. 4; Alens., 4 p., quæst. 34, membr. 3; Cajetan., quæst. 57, art. 4, in fine; Richard., art. 4; Viguerius in Summa, cap. 16, § 3; quam Theologorum doctrinam amplexus est Innocent. III in cap. Cum Mar-

thæ, de Celebratione Missarum, docens, species visibiles esse sacramentum tantum. Et indicatur etiam in cap. Hoc est, de Consecr., dist. 2, quod ex Augustino desumptum est, partim epist. 23 ad Bonifacium, partim aliis locis; et Concil. Trident., sess. 13, cap. 3, eadem utitur doctrina, cum docet, commune esse huic sacramento, cum cæteris, esse invisibilis gratiæ visibilem formam. Et confirmatur, nam ratione specierum, dicitur corpus Christi contineri in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, eadem sess., cap. 4, et in cap. Species, de Consecr., dist. 8, et sæpe alias. Nec enim corpus Christi ratione sui ipsius potest dici contineri in sacramento magis quam in se ipso; sunt ergo ipsæ species sacramentum, vel certe sacramentum ipsum componunt, vel intrinsece constituunt. Et alia similia argumenta confici possunt ex multis aliis locutionibus de hoc sacramento, quæ in Concil. Trident. et in variis decretis de Consecr., d. 2, facile reperientur. Ratio vero clara est, quia species visibiles sunt signum sacrum. Significant enim Christum, quem continent; significant autem illum, ut animarum cibus, atque adeo, ut sanctificantem homines, per modum spiritualis nutrimenti; quæ significatio ad rationem sacramenti posset sufficere; tamen præterea significant gratiam, et charitatem, quia significant unionem in uno corpore Christi mystico, quæ unio charitate perficitur. Ac denique realiter in se continent Christum, quod genus quoddam causalitatis est, et fortasse ad efficientiam pertinet, ut infra dicam. Tandem probabile est, efficere etiam gratiam, ut instrumentum physicum Christi; nihil ergo deest speciebus consecratis, quominus possint Eucharistiæ sacramentum componere, seu constituere.

6. *Fundamenta contraria destruantur.* — Fundamenta contrariarum opinionum edictis fere soluta sunt; Waldensis enim in æquivoco laborasse videtur; nam ex eo, quod corpus et sanguis Christi sunt res præcipuæ, ex quibus maxima dignitas hujus sacramenti consurgit, existimavit, accidentia, comparatione illarum, quasi nihil esse, et ideo analogice esse sacramentum, cum tamen valde diversum sit agere de rei nobilitate, ac agere de ratione sacramenti, quia cum de ratione sacramenti sit esse signum sensibile, fieri potest, ut in re minus nobili prius et exactius inveniatur ratio sacramenti, si illa per se sit sensibilis, quam in re nobiliori, si non sit

per se sensibilis, sed tantum per aliam, ut in præsentia accidit, sicut explicatum est. Patres vero, quos Waldensis allegat, licet dicant, corpus Christi esse sacramentum, non tamen excludunt species. Quomodo autem intelligendi sint, in sect. 3, dicemus. Ratio vero in favorem illius sententiæ facta falsum sumit, ut visum est, et idem dicendum est ad rationem factam pro secunda sententia, de qua plura in sequenti sectione dicemus.

SECTIO II.

An forma verborum consecrationis sit de essentia hujus sacramenti, intrinsece illud constituens.

1. *Quotupliciter accipiatur consecratio.* — Consecratio duobus modis accipi potest. Primo pro forma verborum, qua hoc sacramentum conficitur. Secundo, pro actione illa mirabili, qua panis in corpus Christi convertitur. De hac posteriori non est quæstio, quia constat, illam esse viam ad constituendum hoc sacramentum, non tamen pertinere intrinsece ad ipsam rationem sacramenti, quia non est forma sensibilis, sed potius invisibilis actio ejus, sicut spiritualis actio, qua per formam, v. gr., baptismi, efficitur gratia in anima, non est sacramentum, sed potius res sacramenti, seu via ad illam. Intelligitur ergo quæstio de ipsa forma verborum, de qua non est controversia inter Catholicos, quin aliquo modo sit forma hujus sacramenti, ut Concilium Florent. tradit, et infra, q. 78, latius dicitur. Difficultas vero est, quomodo intelligendum sit, esse formam; scilicet, an tanquam formam informantem et constituentem ipsum sacramentum, an vero solum, ut formam extrinsece illud efficientem.

2. *Verba consecrationis non sunt aliquod integrum sacramentum.* — Supponendum secundo est, illa verba non esse integrum aliquod sacramentum, quia neque est Eucharistia, ut ostendimus, neque aliud aliquod ab illa distinctum, quanquam Gabriel, d. 6, art. 3, dub. 2, contrarium asserere voluerit, licet formidando. Sed est nova et absurda sententia, qua posita plura essent sacramenta, quam septem; quod Gabriel consequenter concedit, quamvis per reductionem dicat ad septem omnia revocari, quod ego supra satis improbavi in disput. 39 et 4 hujus materiæ. Ratio etiam a priori adjungi potest, quia id, quod est integrum sacramentum novæ legis, est proximum signum efficax gratiæ sanctificantis, quam continet et con-

fert, ut patet ex generali doctrina de sacramentis novæ legis. Hæc autem verba non sunt instituta ad conferendam gratiam. Unde non possunt immediate applicari ad sanctificationem hominis, sed solum ad sanctificationem materiæ. Et ideo sola illa, ac per se sumpta, non possunt esse integrum sacramentum novæ legis, sicut sanctificatio chris-matis, aut benedictio olei, non potest habere integram rationem sacramenti. Et ita melius docuerat idem Gabr., lect. 35 in canon., et omnes Doctores, dist. 8. Et ex his intelligitur facile ratio dubitandi in proposita quæstione.

3. *Consecrationem nec esse Eucharistiam, nec ejus partem, qui asserant.* — Prima igitur sententia dicit hanc formam nec esse sacramentum, nec partem sacramenti Eucharistiæ. Potest pro hæc sententia referri Soto in 4, dist. 4, art. 4; sed ille generaliter in omnibus sacramentis negat formas esse partes intrinsecas, sed in hoc deceptus est, ut suo loco ostendimus. Nec in aliis est eadem ratio dubitandi, quæ in isto. Tenet igitur proprie hanc sententiam Scot., dist. 8, quæst. 4, ad 3, quem sequitur Gabriel ibi, quæst. unica, in princ., et lect. 38 in can.; Victoria in Summ., n. 32; Ledesma, quæst. 44, art. 4, dub. 2; Catherinus, opusc. 2, de Verbis quibus Christus consecravit; Claudius, repet. 4, cap. 42; et optime omnium Alanus, lib. 4 de Eucharist., cap. 3, 4 et 5. Hi dicunt non esse de ratione sacramenti, ut essentialiter atque intrinsece constet rebus ut materia, et verbis ut forma, sed solum, ut ex rebus et verbis conficiatur quacumque ratione; quod in hoc sacramento servatur solum quia verba sunt necessaria ad conficiendum hoc sacramentum per modum formæ extrinsece efficientis. Et primo suadet ex Concil. Florent., quod primum in genere loquens non dicit omnia sacramenta constare ex materia et forma, sed omnia tribus perfici, materia, forma et ministro. Ex quo solum habetur, illa tria esse necessaria, non vero essentialia, ut de ministro dicere necesse est. Statim vero loquens in specie de hoc sacramento dicit, materiam esse panem et vinum, formam autem verba; constat autem illam materiam non esse intrinsecam et essentialem sacramento in facto esse; sed solum esse materiam remotam, et quasi terminum a quo, necessarium in fieri. Ergo eodem modo dici poterit forma sacramenti in fieri; non vero constituens illud intrinsece in facto esse. Unde inferius idem Concilium dicit, hanc esse formam, qua hoc conficitur sa-

cramentum; et eodem modo loquuntur Patres supra citati. Est ergo hæc forma efficiens, non informans hoc sacramentum. Unde arguitur secundo ex differentia inter hoc sacramentum, et reliqua, quia in aliis forma non efficit sacramentum, sed effectum sacramenti, et ideo potest per se constituere sacramentum; at vero hic forma efficit sacramentum; ergo non formaliter constituit, quia teste Aristotele, forma informans, et efficiens non coincidunt in eandem numero. Tertio, quia in aliis sacramentis non est aliud esse, quam fieri; et ideo eisdem formis sunt, quibus fiunt; at hoc sacramentum, præter fieri, habet esse permanens; res autem permanens constituitur in suo esse per formam permanentem distinctam ab actione qua fit, quia in tali re aliud est esse, aliud fieri. Unde confirmatur, quia transacta forma, manet in altari integrum sacramentum, et non manet compositum ex rebus et verbis; ergo non est hoc compositum, sacramentum; sed illa tantum res, quæ in altari permanet; et consequenter verba non sunt nisi pars extrinseca sacramenti; antecedens constat ex decretis supra citatis, quæ in hoc favent huic sententiæ, et in eo etiam quod simpliciter vocant species sacramentum tantum, nulla facta mentione formæ. Ultima ratio, et tertia differentia est, quia in aliis sacramentis proxime applicatur forma ad sanctificationem fidelium, quod est intrinsecum sacramento novæ legis. Ut enim supra vidimus, debet esse cæremonia ad usum et sanctificationem fidelium instituta; in hoc autem sacramento forma non est proxime ad sanctificandos fideles, sed ad sanctificandam materiam, quæ in usum fidelium postea futura est; non est ergo pars sacramenti; sicut in confirmatione, vel extrema unctione, sanctificatio seu benedictio materiæ, quamvis simpliciter necessaria sit, non est tamen pars, vel forma sacramenti, quia remote tantum ordinatur ad usum, et sanctificationem fidelium.

4. Quod si quis interroget, cum hæc forma sit signum sacrum, si non est sacramentum, vel pars sacramenti, quid sit, respondet Soto dist. 8, quæst. 4, art. 4, esse sacramentale quoddam. Quod non mihi placet, quia habet effectum maxime supernaturalem, et ex institutione divina est instrumentum efficax, et altioris rationis, quam sint ea quæ sacramentalia vocantur. Scotus dicit, esse viam ad sacramentum; sed hoc magis convenit actioni ipsi, quam formæ verborum.

Melius ergo dicetur forma extrinseca, et efficiens. Vel certe probabiliter dici potest, quod sit actio sacrificandi incruente. Nam, ut infra dicam, dum hoc sacramentum conficitur, sacrificium Deo offertur. Et ex hoc dicendi modo accommodatissime explicatur hæc opinio. Dixi enim supra, agens de sacramentis in genere, hoc differre inter sacramentum et sacrificium, quod licet utrumque sit signum sacrum, tamen sacramentum ordinatur ad usum et sanctificationem fidelium, sacrificium vero ad offerendum Deo aliquid sacrum in singularem cultum ejus. Verba ergo consecrationis proxime ordinata sunt ad conficiendum corpus Christi et sanguinem separatim ex vi verborum; et hoc modo ad immolandum et offerendum Deo incruente ipsum Christum, in singularem cultum ipsius Dei. Et ideo proxime pertinent illa verba ad constituendum sacrificium, et sunt signum sacrum per modum sacrificii, non per modum sacramenti. Quia vero, id quod Deo in sacrificio offertur, postea cedit in usum fidelium, inde fit, ut per hæc verba, et per hanc sanctificationem conficiatur spiritualis cibus, qui sit perfectissimum sacramentum, quo reficiuntur fideles. Ex quo etiam colligitur, posse hæc verba dici formam hujus mysterii, quatenus sacrificium est. Sacrificium enim consistit in fieri et in actione; et ideo forma ejus merito dici potest actio sacrificandi; nam materia, seu quasi materia est res oblata, seu in cultum Dei confecta, seu sacrificata; eadem vero forma, quæ informat sacrificium, efficit sacramentum. Quia, ut dictum est, res sacrificata manet in cibum, usum et sanctificationem fidelium. Et hoc modo explicata hæc sententia non solum probabilis est, sed etiam valde accommodate explicat hoc mysterium, et admirabilem sapientiam, quam in eo constituendo Christus ostendit.

5. *Secunda opinio.* — Secunda nihilominus sententia est, verba esse formam intrinsece constituentem hoc sacramentum. Hanc videtur tenere Marsil., quæst. 6, art. 2, et videtur favere D. Thom., tum in 4, dist. 8, quæst. 4, art. 4, quæstiunc. 4, tum etiam in tota hac materia, quatenus eodem modo loquitur de forma hujus sacramenti, sicut de aliis. Fundamentum autem est illud generale axioma Theologorum: Sacramenta novæ legis constant rebus et verbis; quod intelligendum videtur de constitutione intrinseca, et essentiali, ut fit in omnibus aliis; nam si in aliquo hoc negatur, poterit facile negari in reliquis;

et ita tota hæc doctrina de constitutione sacramentorum reddetur incerta. Sed, ut verum fatear, hoc argumentum non admodum cogit, ut prima ratio præcedentis sententiæ demonstrat; nam ubi est specialis ratio, et quasi singularis natura sacramenti, nihil mirum est si in illo fiat singularis exceptio, et propria constitutio. Alia ratio adjungi potest, quia hæc verba sunt signum sacrum, et efficax summæ gratiæ, quia vim habent conficiendi Christum in hoc sacramento, et significandi illum, ut est cibus animarum sanctificans; ergo hæc verba sunt sacramentum, vel pars sacramenti. Non primum, ut ostensum est; ergo secundum. Sed hæc ratio ex dictis facile solvi potest dicendo, hæc verba significare per modum sacrificii, quæ significatio est veluti extrinseca et efficiens in ordine ad sacramentum. Denique ratio esse potest, quia hæc forma habet circa species illum effectum sacramentalem, quem habere potest forma sacramentalis, quia definit, et determinat materiam ad sacramentalem significationem. Dicit tamen potest determinare effective consecrando materiam. Sed ratio est probabilis, ut statim explicabo.

6. *Non verba, sed quod ex verbis relinquuntur, esse formam hujus sacramenti, quidam volunt.* — Tertia opinio esse potest, quæ est veluti explicatio præcedentis, non verba, sed quod ex verbis relinquuntur, esse formam hujus sacramenti, ad modum quo nonnulli dicunt, ubi, non esse superficiem continentem, sed quod ex circumscriptione ejus resultat in locato. Sed hæc sententia addit aliquid obscurius, et non salvat modum loquendi Conciliorum, et vix potest non incidere in alterutram ex dictis. Interrogo enim, quid sit illud, quod verba relinquunt circa species, et an relinquunt effective vel formaliter; si effective, illud non potest esse, nisi consecratio physica, quæ consistit in separatione specierum a substantia, et conversione substantiæ in corpus Christi. Et hoc modo jam verba non sunt forma informans, sed efficiens, ut prima opinio dicebat. Id autem, quod efficiunt, magis se tenet ex parte materiæ proximæ, quam formæ. At vero formaliter nihil relinquunt verba circa species, nisi fortasse denominationem extrinsecam; neque enim materiam manere determinatam ad talem significationem, potest esse aliud, quam habitudo rationis, et denominatio extrinseca; et hoc ipsum dicebat secunda opinio, et melius loquebatur, quia Concil. Florent. non dicit,